



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

178. An, & quando institutio sit debita præsentato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

instituitur: Collatio enim Papæ comprehendit in se provisionem, electionem, præsentationem, confirmationem, institutionem: atque ita provisio Papæ sufficit pro institutione. Corrad. *ibidem*, citans Rotam in una Cortonenſi plebania, 1. Julii. 1633. coram Ghislero. Idem fusi habet Corrad. l. 4. c. 3. n. 21. ubi etiam dat rationem, quare Papa in provisione istiusmodi beneficiorum jurispatr. non servet aut servare teneatur formam *c. fin. de elect. in 6.* quia nimirum in provisionibus Apostolicis de beneficiis jurispatronatus, sive laicalis, sive Ecclesiastici non proceditur per viam confirmationis; quod tantum locum habet in Ordinario, qui præsentationem patronorum debet confirmare, præsentatum instituendo, citat pro hoc Abb. in *c. nihil. de elect.* De cetero, quænam institutio in beneficiis patronatus vacantibus sit reservata per regulam; vide apud Lott. l. 2. q. 8. n. 8. qui ex Covar. *pract. qq. c. 36. n. 5.* ait, id intelligendum de Episcopatibus & dignitatibus, de quibus dicta regula.

Quæstio 177. Qualiter, & ad quos devolvatur res instituendi?

1. **R**espondeo primò: ob non factam à patrono præsentationem potestas liberè conferendi devoluta est ad Ordinarium; & si is non contulit intra 6. menses, fit devolutio ad Superiorem ejusdem beneficii patronati. Lott. l. 2. q. 13. n. 60. Verum sic non tam institutio respiciens præsentationem factam, quam institutio sine præsentatione; adeoque magis propriè dicenda collatio, devolvitur ad dictum Superiorem.

2. Secundò: in casu, dum facta legitime præsentatione, patronus vel etiam præsentatus ob plus à quò dilatam institutionem ab habente instituere appellationem, aut querelam prosequitur apud Superiorem seu judicem, potestas instituendi non devolvitur ad dictum judicem, qui de gravamine cognoscit, vel querelam recipit, nisi per indirectum; si enim procedatur per viam querelæ (cui tunc est locus, ubi nullum gravamen positivè supponitur, sed solum negligentia & mora in instituendo) poterit aditus Superior præfigere terminum habenti instituere, intra quem, si nolit instituere, tunc ipse loco illius poterit instituere. Lott. *loc. cit. n. 65. & 66.* juxta decif. Rotæ. 4. *de jure patronatus. in novis.* & ex eo Corrad. l. 4. c. 3. n. 12. Si autem procedatur per viam appellationis à gravamine positivè illato; sive quia expressè sit denegata institutio, sive quia ter solenniter requisitus obstinate distulit; facultas instituendi videtur devolvi ad dictum Judicem appellationis; seu judicem ad quem, eò quòd, ut Franc. in *c. bona. de appell. n. 12.* hic præcipuus sit effectus appellationis; ut negotium, de quo appellatum, devolvat. Lott. n. 67. & hanc sententiam tenet gl. in *Clement. auditor. v. debitum de rescript. & Card. ibidem n. 12.* Veruntamen, quod nunquam potestas instituendi vel conferendi (quidquid sit de potestate confirmandi, de qua videtur esse textus in *c. significaverunt. de excep.*) etiam si appellatio pronuncietur legitima, devolvatur ad dictum judicem aut alios delegatos, nec aliter posse eos concipere sententiam suam, quam remittendo præsentatum ad Ordinarium, seu habentem instituere, ut ipse eum instituat, tenet ipse Lott. n. 70. & 72. citans pro hoc Innoc. in *c. dudum. 2. de elect. n. 5. & 6.* Jo. And. in *c. M. Ferrar. de constitut. n. 21.* Franc. ubi antè. & Rotam in *Arenina capellania. 4. Julii 1603. &c.* Nihilominus tradit Lott. num. 71. in dicto casu appellationis devolvi &

spectare jus instituendi ad auditores Rotæ, in quorum favorem emanavit *Clem. auditor. de rescript.* de iis solum, & nullatenus etiam de aliis auditoribus ejusdem Curia, v. g. Auditore Camera, Auditore contradictarum, ut ait Lott. n. 74. juxta gl. in *eandem Clem. & Gonz. gl. 23. num. 16.* intelligenda. Quamvis citato n. dicat idem Lott. ex Franc. ubi antè n. 27. dictam *Clem.* non procedere ex suppositione simplicis appellationis à gravamine; sed ex suppositione commissionis Papæ super toto negotio; quin & n. 76. & 77. addat, facultatem hanc instituendi non esse singulariter concessam Auditoribus Rotæ per dictam *Clem.* eò quòd, dum Auditor in eo casu instituit, non nitatur privilegio dictæ *Clem.* (utpote concedentis privilegium longè pinguius; nimirum facultatem conferendi) sed potius facultate sibi competente de jure communi tanquam delegato. Unde etiam n. 79. ait idem Lott. quoriscunque supponitur appellatum in ipso articulo denegatæ institutionis, & causa per speciale rescriptum commissa extra Rotam, sive etiam extra curiam cum clausula consueta devolutionis totius negotii principalis, se tenere, posse judicem institutionem facere ei, cui ea de jure debita, atque ita de jure salvari posse quòd ad simplicem usum & praxin retulit Riccius *collect.* 1598. Quibus addit Corrad. l. 4. c. 3. n. 12. quòd testatur Garc. p. 5. c. 8. n. 103. servari in praxi, quòd delegari à Nuncio in causis Capellaniarum, & beneficiorum jurispatronatus, in gradu appellationis faciunt institutionem & collationem; possit hæc praxis salvari & sustineri ex clausulis commissionum cum incidentibus dependentibus annexis, & c. quas clausulas semper adjicit Papa, dando similes commissiones in gradu appellationis, ex qua curia Romanæ observantia tulerint nonnulli, quòd vigore dictæ clausulæ delegatus per Papam ad hujusmodi causam possit etiam procedere ad institutionem præsentati; quòd tamen ait Corrad. non videri sibi tutum.

PARAGRAPHVS II.

De necessitate, modo ac tempore faciendæ institutionis.

Quæstio 178. An, & quando institutio sit debita presentato?

Respondeo tunc demum esse debitam, ubi apud habentem instituere hæc 4. liquent; nempe vocatio beneficii, existentia jurispatronatus, habilitas presentati, & presentatio facta in tempore. Lott. l. 2. q. 13. n. 19. citans Rotam, decif. 337. n. 1. p. 2. recent.

Quæstio 179. Qualiter subveniat, si negatur aut differatur institutio?

Respondeo satis id indicatum q. ult. §. precedentis, quibus addendum, quòd ait Lott. *cit. q. 13. n. 69.* in casu non denegatæ, sed simpliciter plus à quo dilatæ institutionis frequentius & tutius practicari, ut impetretur provisio à Papa, asserendo simpliciter, se presentatum à patronis.